

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XXIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

nocet. Alij sunt *μωρόκατοι*, non sani iudicio, nec intelligentes ea, de quibus certant, & tamen arrogantes & fascinati persuasione sapientiae, prauis, pertinaces, qui neq; quærunt neque amant veritatem, sed suas quasdam opinioniones & persuasionem sapientiae mordicus tuentur, & admoniti sunt rabiosiores. Tales non moneri aut doceri frustra, sed vitari & fugi debent, vt Christus inquit: Nolite sanctum dare canibus, ne conuersi lacerent vos. Sapere autem in imperijs & ecclesia dominantur tales *μωρόκατοι*, vt Claudius, Roboam. His consilia dare & seruire, viro bono & prudenti reuera grauius est, quam arenam, sal & ferrum portare. sicut ille apud Aristophanem seruus insipientis domini exclamat:

*ὡς ἀργάλεον πρᾶγμα ἔστι, ὃ ζεῦ καὶ θεοῖς,
Δέλον ἄρεσθαι πρὸς φρονέοντας δευτέρως.*

O Iupiter, Diique quanta molestia est,
Seruum esse fidum non sapientis Domini.

Sicut domus bene contignata aduersus &c. IIII. Insignis sententia est

FIDES.

de FIDE, quæ est fiducia cordis in Deo nobis propitio & fauente acquiescens, & certo statuens se Deo curæ esse, se propter Christum mediatorum à Deo diligi, exaudiri, & in omnibus periculis iuuari, defendi & æterna salute donari. Hæc fides reddit cor tranquillum & lætum, vt in periculis & ærumnis omnibus non frangatur trepidatione, metu & terroribus vllis, sed solidæ petræ Christo constanter innitatur & omnes dubitationum & pauorum fluctus à se repellat & vincat. Matth. 7. Firma fide innitens Deo, similis est homini prudenti, qui ædificauit domum suam super petram. Et in Psalm. 124. Qui confidunt in Domino, tanquam mons Sion non commouebuntur. Psal. 61. Nonne Deo erit subiecta anima mea, &c. *Cum oculum premis, elicis lacrymas.* V. De mala conscientia, quæ seipsam prodit. VI. Reliqua pars capitis de FIDELITATE in amicitia concionatur, quæ in vera beneuolentia mutua, & amici dignitate & commodis tuendis, seruat constantiam in rebus secundis & aduersis. Vicia opposita sunt, perfidia deserens aut prodens amicos in rebus aduersis. Item contumelia, quam Græci *ὕβρις* vocant, petulanter verbis vel factis lædens existimationem & famam eorum, à quibus nec prouocati nec læsi sumus, de qua Plutarchus in Timoleonte inquit: *χαλεπώτερον ὕβρις ἢ βλάβη φέρομεν.* Alterum extremum est stulta fidelitas, iuuans amicum in causis iniustis vel impossibilibus. Colligantur autem sententiæ Syracidæ de amicitia in vnum aceruum ex capite 6. 9. 13. 14. 27.

Caput XXIII.

Lingua frenanda.

U

Precatio vt à Deo doceatur & regatur.

UTINAM seram obdere possem ori meo, & firmissimum sigillum labijs meis, ne per illa caderem, & perderet me lingua mea. Domine Deus Pater, dominator vitæ meæ. Ne patiaris me misceri blasphemis, neq; perire inter eos. Utinam omnes cogitationes meas possem coërcere freno, & cor meum castigare verbo Dei. Utinam non in-

non in-

non indulgeam mihi, si quid errem, nec causa sim peccandi, ne errores excitem maximos, & plurimum perpetrem mali. Ne interire contingat me coram inimicis meis, & ipsis sim ludibrio. Domine Deus, dominator vitæ meæ, custodi me ab oculo impudico, & custodi me à voluptatibus malis, ne patiaris me obbrutescere in crapula & libidinibus, & custodi me à corde impudenti.

Filij, discite continere linguam: nam qui continet os, ille non impingit verbis, sicut impij, blasphemi & superbi per hoc cadunt. Noli assuefacere os tuum ad iurandum, & non usurpes nomen Dei in vanum. Nam sicut seruus, qui sepe vapulat, non est sine vibicibus: Ita non est sine peccatis qui sepe iurat, & nomen Dei in vanum usurpat. Qui sepe iurat sepe peccat, & calamitas non cessabit in domo eius. Si iurat & non intelligit, nihilominus tamen peccat. Si autem intelligit, iam dupliciter reus est. Sin autem iurat sine damno proximi, tamen non est sine peccato, domus eius duriter affligetur. Sunt qui iurant ad mortem, à quo custodit Deus domum Iacob. Timentes Deum, vitent hoc, neque contaminent se hoc peccato. Noli assuefacere os tuum ad iurandum ita faciliter. Nam proficiuntur à malo proposito. Noli obliuisci doctrinam patris tui, & matris tuæ, & sedebis inter Principes, nec obliuio erit tui. Ne assuefias stultitia, & tandem præoptes te non esse natum, atq; execreris natalem diem tuum. Qui assuefacit se ad contumelias, hic per omnem vitam non redditur melior. Secundo peccare nimium est. Tertio verò peccare, pœnam secum adfert. Qui assuat libidine, est velut ignis ardens, neque desinet, donec inflammet seipsum. Homo libidinosus, non est corpore quieto, donec ignem accendat. Libidinoso homini quiuis cibus dulcis est, non desinit, donec expleat cupiditatem suam. Vir qui adulterium admittit, & cogitat apud se, quis me videt? Tenebrae cingunt me, parietes occultant me, iam me videt nemo. Quem memam, quem reuererear? Altissimus mea peccata nihil moratur. Hic tantum reueretur oculos hominum, & non cogitat, quòd oculi Domini sunt multò clariores sole, omniaq; cernunt facta hominum, penetrantq; in angulos abditissimos. Omnia tam sunt nota illi, antequam creantur, quàm postea cum creata sunt.

Iurandi futi-
litas.

Iustitia utilis.

De castitate
& libidini-
bus.

Hic vir in urbe publicè dabit pœnas, tunc deprehendetur, cum minimè cogitat. Idem accidit mulieri, quæ deserit maritum suum, & liberos habet ex alieno. Primum refragatur mandato Dei. Secundò peccat contra maritum suum. Tertiò per suum adulterium procreat liberos supposititios: Hec eijcietur ex ecclesiæ cœtu, & liberi quoque eius hoc luent. Liberi eius non agent radices, & rami eius non proferent fructum. Ad posteritatem maledicatur, & ignominia eius non delebitur. Ex hoc discunt posteri, quod nihil melius est, quàm timere Deum, & nihil dulcius, quàm magnifacere mandata Dei.

Primum de moderanda & frenanda lingua præcipit. Quam duplici vallo dentium & labiorum natura ipsa munivit, & in specum oris abdidit, plurimisq; vinculis alligavit, ne præcipiti petulantiq; futilitate exitum & perniciem hominibus adferat, ἀχαλίνων ἢ τῶν στόματων τὸ τέλος δυσυχία. Effrenis oris finis infortunium. Ideo iubet Solon, σφραγίζεσθε τὰς μὲν λόγους σφῆρα, τὰ δὲ σφῆρα καὶ ἡσυχίαν. Ad octauum præceptum Decalogi referri potest. *Domine Deus pater dominator vite meæ.* I. I. Precatio ad primum & secundum præceptum pertinens, qua mentem suam à Deo doceri & regi petit, ut rectè de Deo sentiat & loquatur, & Deum rectè agnoscat, inuocet & celebret, nec in errores blasphemos, fanaticos aut Epicureos incidat, vel alios falsa & impia docendo seducat, sicut multi summi viri, ingenio, sapientia & doctrina præstantes, horribiliter lapsi sunt, Aaron, Salomon, Manasse, Petrus, &c. Et plurimi blasphemorum dogmatum autores, nunquam ad

Blasphemix.

Deum conuersi sunt, vt Samosatenus, Arius & similes. Sunt autem Blasphemix, omnes falsæ opiniones, sermones, & dogmata de Deo, pugnantes cum norma verbi à Deo traditi, quibus contumelia Deus afficitur. Cum verò nihil magis humanum sit in hac naturæ corruptione, quàm labi, errare, hallucinari, præsertim in cogitatione & doctrina de Deo: moueat & impellat nos scholasticos præcipuè, hæc mentium nostrarum infirmitas & opinionum ac morum pericula, vt quotidie in nostra inuocatione has Syracidæ preces vsurpemus, & vnà cum Dauide nos à Deo doceri, & omnes nostras cogitationes, studia, iudicia, consilia, dogmata & mores à Deo gubernari petamus, his verbis, Psalm. 25. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua & doce me: quia tu es Deus saluator meus. Psalm. 119. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me, Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt discam testimonia tua. Sic & precatio Dominica orditur à petitione veræ doctrinæ & gubernationis diuinæ. *Custodi me ab oculo impudico.* III. Petit suos mores à Deo regi, vt pudici, sobrij & casti sint, & inprimis se custodiri petit à corde impudenti, quod nec Dei nec hominum honestorum iudicia & infamiam, delicta comitantem, veretur. Sed absq; vllò pudore seu metu iudicij diuini & propriæ conscientiæ, & aliorum rectè iudicantium, omnibus cupiditatibus & sceleribus frenos securè laxat. De tali corde verè inquit Xenophon, τὴν ἀπειρομαχίαν μεγίστην εἶναι πάντα τὰ αἰσχρὰ ἢ γεμόνα. Impudentiam esse maximam ducem ad omnem tur-

picudi-

pitudinem. *Noli assuefacere os tuum ad iurandum.* IIII. Iurandi futi-
 iuramentum. iuramentum, inuocatio veri Dei, qua petimus, vt sit testis nostri sermonis,
 & fallantes seuerè puniat. Species legitimi iurifurandi duæ sunt, cum
 videlicet, vel mandante magistratu vel cogente vocatione præstantur. Reli-
 qua, quæ priuata futilitate, sine necessaria causa, de re qualibet fiunt, et-
 iam si non accedat cupiditas nocendi alijs, tamen grauia peccata sunt, pro-
 hibita hac voce Christi, Sit sermo vester, est est, non non, Quod vero plus
 est, à malo est. Et periuria, ac omnem abusum nominis diuini certo diuini-
 tus puniri testatur secundum præceptum, Exod. 20. & noti sunt versiculi:

Ah miser & si quis primo periuria celat,
 Sera tamen taciens poena venit pedibus.

Noli obliuisci doctrinam patris tui. V. Repetit quartum præceptum.
 Præcipua autem parentum cura esse debet, vt veram de D E O doctrinam
 liberis vnà cum lacte nutricis instillent, sicut Ephes. 6. præcipitur: Educate
 liberos in doctrina & disciplina Domini. Iubet igitur doctrinam de D E O
 à parentibus traditam reuerenter amplecti, & velut normam in omnibus
 vitæ consilijs & actionibus sequi. Ac obediens promittit præmia. Sedebit
 inter Principes, id est, Deus collocabit te inter salutare gubernatores, &
 iuuabit ac reget consilia & actiones tuas, vt tibi & Reipublicæ sint saluta-
 res, sicut Iosèphum, Dauidem & alios prouexit. Inobediens verò seu stul-
 to contemnentem doctrinam à patre acceptam, tristissimas calamitates & ex-
 citium minatur. *Qui assuefacit se ad contumelias.* VI. De conuicijs, ca-
 lumnijs & obrectationibus contumeliosis, cap. 28. multas sententias co-
 æruabit. *Secundo peccare nimium est.* VII. De iustitia vniuersali vi-
 tante omnia delicta & obediens D E O iuxta omnia ipsius mandata. Con-
 gruit cum dicto Esaie 1. Desinite male agere, & discite bene agere. *Qui
 assuat libidine est velut ignis ardens.* VIII. Reliqua tota pars capitis de
 vitandis libidinibus & colenda CASTITATE concionatur: Quam vir-
 tutem necessariam & expressa voce Dei mandatam esse scimus. Hæc est e-
 nim voluntas Dei, castitas nostra, vt abstinemus à scortatione, & vt vnus-
 quisque suum corpus vni coniugi castum & sanctum seruet. Ideo statim in
 Paradiso Deus coniugia distinxit à bestiarum commixtione vaga. Et hac
 voce: Erunt duo in carnem vnã .i. vnus mas & vna foemina inseparabili-
 ter iuncti, omnes vagas libidines prohibuit. & plurimis sententijs & exem-
 plis omnium temporum iram suam aduersus scortationem & adulteria de-
 clarauit. Est enim regula vniuersalis, Scortatores & Adulteros iudicabit
 Deus. & 1. Corinth. 6. Nolite errare, Scortatores, adulteri, molles, Sodo-
 mitæ, non possidebunt regnum Dei. Et cernit Deus omnia vindex. Hic to-
 ta doctrina de castitate & octo causis, cur casti pudoris decus singulari cu-
 ratuendum sit, ex sexti præcepti enarratione reperatur.

Caput XXIII.

*APIENTIA prædicat seipsam, & in cœtu populi
 celebrat se, Concionatur in ecclesia Dei, & in regno
 eius ebuccinat se. Ego, inquit, sermo sum Domini,*

Ccc 3

qui im-